

et hypothetica, quae in aliqua tantum hypothesis valet. Utraque vero impossibilitas identitatis praedicati cum subjecto vel duorum inter se, exprimi potest hac cumuni formula conditionata : *ens, si est, vel prout est, non potest non esse* : ita ut si ens sit necessario et necessitate absoluta, impossibilitas ut non sit, sit absoluta : si ens sit contingenter et necessitate tantum hypothetica, impossibilitas ut non sit, sit hypothetica. Haec ergo est formula universalior utramque simul impossibilitatem complectens : *ens prout est non potest non esse*. Atque haec est notio, quae cum prima apprehensione oppositionis inter *ens*, et *non ens* oritur in mente. Nam non affirmat tunc mens simpliciter ens esse ; sed affirmat quod ens existens nequit non existere, et quod essentia quaevis nequit non esse id quod est : quod tantumdem est ac dicere, *ens, prout ens, nequit non esse* ; et *essentia talis, si est talis, nequit non esse talis*.

Jam vero 3<sup>o</sup> haec formula universalissima conditionata impossibilitatis, cum alterum ex contradictoriis ponitur ex parte subjecti, alterum ex parte praedicati, satis superque exprimitur negatione unius de alio ; nam praedicatum negatur de subjecto formaliter accepto ( D. CVI ) ; ideoque cum dico : *ens nequit esse non ens*, reapse dico : *ens prout est ens, nequit esse non ens*. Cum vero utrumque contradictorium ponitur ex parte praedicati, ea exprimitur addita particula *simul*, quae significat *sensum compositum* ( D. CIX ) unius contradictorii cum alio, quod ponatur a parte subjecti, seu quod insit subjecto : *nihil potest simul esse et non esse*, h. e. *nihil prout est potest non esse, et prout non est, potest esse*.

Itaque 4<sup>o</sup> principium contradictionis valet ex aequo pro rebus necessariis, et contingentibus, cum hoc tantum discrimine, quod in necessariis ea conditio nunquam mutatur, in contingentibus mutari potest, et mutatur. Quia vero in contingentibus mutabilis est ea conditio, potest utraque forma diversis in instantibus temporis inesse subjecto ; quocirca sensus compositus utriusque contradictorii, qui est repugnans, locum habet tantum, si in eodem instanti utrumque insit. Inde est quod, cum ad contingentia principium contradictionis porrigitur, sensus compositus, quem particula *simul* exprimit, idem instans temporis exigit ; atque ita notio temporis per eam particulam significetur.

Non ergo notione temporis circumscribitur principium, et limitatur ad res temporaneas, et contingentes, sed solum ejus amplitudo extenditur etiam ad illas. Neque ea notio temporis per particulam